

decipi prorsus qui arbitrantur posse capitulum eligere Vicarium Capitularem qui Diocesim administret in absentia Episcopi expulsi a Diocesi ex civilis auctoritatis decreto. Et quidem in hac re habemus *Decretum Pii IX.* per organum S. Congreg. Episcop. et Regul. diei 3. Maji 1862, quo irritas dixit electiones nonnullorum Vicariorum Capitularium factas ab aliquibus Capitulis ditionis neapolitanæ in Italia, cum Episcopi exulare cogebantur et vicarios, seu delegatos reliquerunt. Conf. *Collectamen Cardin. Bizzarri pag. 167.* Nam etiam in exilio potest saltem per epistolas necessitatibus Diocesis subveniri.

9. Casui proposito in c. 3. h. t. in 6<sup>o</sup>. auctores comparant etiam statum amentiae in quam incidat Episcopus vel infirmitatis vel senectutis, donec ab apostolica sede provideretur de administratore vel de novo Episcopo. Comparant etiam Auctores huic casum Episcopi diu in longinquis regiones peregrinantis, quin Diocesi administrandæ vicarium designaverit.

10. Tandem sede vacante Archiepiscopus sese ingerere non potest in administrationem Diocesis provinciae suæ visitatorem designando, nisi negligenter aut perperam capitulum administret. Quo in casu Archiepiscopus supplet negligentiam vel malitiam Capituli c. ult. h. t. in 6<sup>o</sup>. Immo nec ob excommunicationem qua forte ligatur Episcopus, ejus jurisdictio ad Archiepiscopum transit, ita ut fideles illius Diocesis quæstiones ad metropolitanum tribunal deferre debeant, sed per aliud remedium suppleri debet c. 1. h. t. in 6<sup>o</sup>. Archiepiscopus enim supplet negligentiam Episcopi, non vero culpam criminis. Remedium autem in hujusmodi casu ordinarium est, ut res deferatur ad Romanum Pontificem, qui juxta circumstantiarum exigentiam congruenter providebit.

#### TITULUS XI.

### De temporibus Ordinationum et qualitatibus Ordinandorum.

1. Cum locuti simus de modis quibus personæ assumantur ad ecclesiastica ministeria, et ad prælaturas ecclesiasticas, opportunum est de ordinatione Clericorum agere, qua et ministri consecrantur in religionis officiis, et in gradibus ecclesiasticis constituuntur, qui necessarii sunt ut Clerici ad primas dignitates promoveantur.

Quemadmodum Theologi ita et Canonistæ de Sacramento Ordinis loquuntur. Ordinem esse unum ex septem N. L. sacramentis in s. Theologia demonstratum fuisse supponimus. De ejus natura et divisione aliqua in sensu canonum dicemus. Ordo dupliciter sumi potest: 1<sup>o</sup>. ut significet conditionem permanentem clericorum qui vi ordinis sui constituuntur in gradu præeinenti seu in dignitate quadam in Ecclesia Christi; 2<sup>o</sup>. ut significet ipsam sacram ordinationem, seu ritum quo homo in eo gradu permanenti dignitatis constituitur. Qua in significatione ordo est vere sacramentum. Ordo in præsentī titulo præsertim in hoc secundo sensu accipitur. Ordo quamvis in se sit unus, sacerdotale enim officium in Ecclesia respicit; tamen consideratur veluti quoddam genus plures species complectens. Septem porro Ordines a Concilio Tridentino numerantur in *sess. 23. c. 2. De sacr. Ordinis.* Non pauci Canonistæ post glossam in Can. Clerus dist. 21. docuerunt Ordines esse novem ad formam cœlestis Angelorum Hierarchiæ; quique propterea et sacram Tonsuram et Episcopatum inter Ordines recensendos esse putarunt. At quoad tonsuram, licet hic ritus in sortem Domini deputet hominem, ordo tamen dici nequit. Nam nullam potestatem confert actum aliquem specialem exercendi ecclesiastici ministerii, et inter Ordines a Conc. Trid. sess. 23. c. 2. non numeratur, sed dispositio ad ordines dici debet. Quod vero in cap. 11. de ætat. qual. et ord. præficiendor. dicatur simpliciter ordo clericalis, intelligi potest de deputatione illa quam per susceptionem primæ tonsuræ ex institutione Ecclesiæ acquirit homo ad conditionem permanentem seu ad statum clericalem. Nec difficultas fieri potest ex privilegiis et juribus ecclesiasticis obtentis ex tonsura; nam privilegia et jura possunt esse ex sola concessione Ecclesiæ, quæ tribuit etiam illis privilegia, qui jure divino illa non habent, ex. gr. laicis professis in approbata Religione.

2. De Episcopatu communior est canonistarum sententia, quæ eum esse ordinem a presbyteratu distinctum docet. Ex mente *Conc. Trid. sess. 23. de sacr. Ordinis* arbitrantur se rem conficere posse. Nam 1<sup>o</sup>. Trident. in ead. sess. c. 4. distincte loquitur de Ordinatione Episcoporum, sacerdotum et ceterorum Ordinum. 2<sup>o</sup>. In can. 7. ejusdem sess. docet, Episcopos esse Presbyteris superiores. 3<sup>o</sup>. In can. 6. ejusdem sess. sub pœna excommunicationis definit, admittendam esse sacram hierarchiam divina ordinatione institutam



quæ constet ex Episcopis, Presbyteris et Ministris. Tandem Trident. peculiaria munera taxative tribuit Episcopis.

3. Verum tendendum esse videtur Episcopatum in suo esse formali consideratum non esse ordinem per se distinctum et a presbyteratu prorsus separatum. Nam inspectus Episcopatus in suo formali conceptu seu quoad potestatem Ordinis, relationem dicit ad Sacrificium eucharisticum, ac proinde in se ordinem presbyteratus includit, et potest sub generico ordine sacerdotii comprehendere. Hinc Conc. Trid. dum in *c. 2. sess. 23. de sacr. Ordinis* septem Ordines numerat, de Episcopatu mentionem non habet, sed generatim Sacerdotium nominat. Quod etiam in *can. 2. ejusdem sess.* repetit. Dici ergo potest Episcopatum esse complementum sacerdotii, quod novum characterem non imprimat, sed ipsum presbyterorum characterem augeat perficiatque. Ex quo sequitur, per consecrationem episcopalem jus novum acquiri personæ nova munia in Ecclesia explendi, ac quædam sacramenta ceu propria administrandi. Ex quo etiam eruitur, Episcopos esse Presbyteris superiores. Hinc *Anacletus* Papa in *Ep. 3. c. 1.* tradit ordinem sacerdotum bipartitum esse, scilicet Episcoporum et Presbyterorum.

4. Aliquam certe difficultatem facit canon Tridentinus 6. citatæ sessionis in quo s. Synodus definit sacram Hierarchiam Ordinis idest sacrum principatum existere in Ecclesia qui constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris; nam ubi adest principatus inter Episcopos et Presbyteros, duplex adesse etiam videtur sacerdo distinctus Episcopatus et Presbyteratus. At notandum est 1<sup>o</sup>. mentem fuisse concilii condemnandi tantummodo novatores qui destruentes sacram hierarchiam omnes christianos promiscue sacerdotii jure pollere docebant. Noluisset vero scholasticam quæstionem dirimere quæ vigeat de distincto ordine Episcopatus et Presbyteratus. Præterea ex historia scimus in concilio paratum fuisse canonem, in quo asserebatur, Episcopos *jure divino* superiores esse Presbyteris; sed canon hic receptus non fuit, et potius alia expressio adoptata est, nempe *divina ordinatione*; quæ stricto sensu secum non fert jus divinum. Nam divina ordinatione institutum dici potest sive quod immediate a Deo sive quod solum mediate procedit, id est per Ecclesiam interpretantem intentionem juris divini. Ergo definitum non est, adesse in Ecclesia jure divino hierarchiam inter Episcopos et Presbyteros. 2<sup>o</sup>. Verba hæc Tridentini possunt explicari non de principatu omnimodo et in for-

mali conceptu sumpto, quatenus ordinem peculiarem et distinctum constituat, sed quatenus id quod est magis perfectum antecellat quod est minus perfectum. Quo in sensu complementum sacerdotii quod est in Episcopatu præstat et superest Presbyteratui.

5. De Ordinum qualitate et diversitate agit Tridentinum etiam in *can. 2. cit. sess. 23. De sacram. Ordinis* hisce verbis concepto: 'Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et majores et minores, per quos veluti per gradus quosdam ad sacerdotium tendatur anathema sit'. Qui canon statuens existentiam ordinum in Ecclesia non tangit quæstionem, utrum ordines omnes sint sacramenta. Si sermo sit de minoribus ordinibus, certa videtur esse sententia negans; nam Ecclesia Græca ab antiquissimis temporibus ceu ex canonibus qui Apostolici dicuntur, patet, aliquos ex iis non retinet, nec reprobat a Latina quasi careret aliquo sacramento. Hæc vero ratio fuit cur Conc. Tridentinum non definivit numerum Ordinum, sed generice docuit, præter sacerdotium alios esse Ordines. Dicendum tamen est in utraque Ecclesia ordines alios esse majores, alios vero minores. Porro Ordo Subdiaconatus, qui in Ecclesia Græca adhuc inter minores computatur, in Latina juxta aliquos, intra quos recensetur *Morinus* '*De sacr. Ordin. part. 3. exerc. 12.* factus est major sæculo XI. ab Urbano II. qui in Concilio Beneventano an. 1096. subdiaconis concessit ut de licentia Romani Pontificis, vel Metropolitanis, exigente opportunitate, possent saltem rarissime eligi in Episcopos, et declaravit eosdem lege continentia teneri cap. 9. de ætat. qual. et ord. Præficiendor. Juxta autem *Thomassinum* '*De Vet. et Nov. Eccles. discipl.*' part. 1. lib. 2. c. 3. Innocentius III. elevavit Subdiaconatum ad conditionem ordinis majoris, cum cit. cap. 9. de æt. et qual. Præficiendor. absolute decrevit ut subdiaconus posset eligi in Episcopum sicut diaconus et sacerdos.

6. **De temporibus Ordinationis.** — Ad normam *Pontificalis Romani* in tit. *De clerico faciendo*, omnes Doctores fatentur tonsuræ conferendæ neque tempus neque locum fuisse adsignatum. Hinc etiam extra Missarum solemnias, quavis hora et quovis honesto loco tonsura conferri potest. — Ordines minores conferuntur non solum in solemnibus ordinationibus, sed conferri etiam possunt omnibus diebus festis horis matutinis etiam extra Missam. Quemadmodum docet idem Pontifical. in tit. *De Minorib. Ordin.* et cap. 3. h. t. In quo capite traditur posse duos etiam minores ordines in



eadem occasione eidem personæ conferri. — Majores vero ordines ab Episcopis conferri nequeunt nisi in Sabbathis quatuor temporum et in Sabbatho immediate ante Dominicam Passionis et in Sabbatho sancto; *cit. c. 3. h. t. et Trid. sess. 23. c. 8. de Ref. et can. ult. dist. 75.* Ex antiqua enim Ecclesiæ praxi ab ipso Apostolorum ævo, prout traditur in Actibus Apostolorum, ordinationes Ministrorum ceu negotium magni momenti sunt habitæ, ac oratione et jejunio præparandæ. Adeo autem Ecclesia rigida olim fuit in observatione horum temporum in sacris ordinationibus, ut consuetudo contraria prorsus reprobaretur ceu institutioni ecclesiasticæ inimicæ, et si quæ ordinatio in majoribus secus fieret, clericus promotus deponeretur ab ordine, et Episcopus suspenderetur a potestate ordinum conferendorum. Ita *Alex. III. in c. 2. h. t.* — Pro consecratione Episcopi, ut supra diximus, est designatus dies dominicus ex Ecclesiæ consuetudine c. 5. dist. 75.; ex Pontificali vero Romano *part. 1. tit. 13.* etiam dies natalis sanctorum Apostolorum est adsignatus, in memoriam successionis qua gaudent Episcopi in Apostolorum munus Ecclesiæ regendæ. Quare nisi aliter Romanus Pontifex indulserit, dies consecrationis Episcopi est vel dominicus vel dies natalis alicujus Apostoli.

**7. De qualitatibus Ordinandorum.** — Non loquimur de qualitate sexus prout de re notissima, nec de statu gratiæ aut de vocatione ad statum clericalem de qua agit Tridentinum *sess. 23. c. 4. de Ref.* nec de irregularitatibus ex defectu natalium vel corporis; vel alio canonici impedimenti ligamine. De iis enim in peculiaribus titulis sermo erit.

8. De ætatis qualitate sermonem primo loco instituimus. Quod ætas legitima requiratur ostenditur ex c. 14. h. t. Ad primam tonsuram recipiendam ac minores ordines ætas præcisa defixa in canonibus non reperitur; sed solummodo in Concilio Tridentino *sess. 23. de Ref. c. 4.* constitutum est, ut prima tonsura non initientur, nisi qui sacramentum Confirmationis receperint, quique fidei rudimenta edocti fuerint, ac legere saltem et scribere sciant. Ex quo inferunt Doctores usum rationis satis evolutæ requiri, ut status clericalis dignitas et obligationes sufficienter percipiantur; ac proinde saltem septennium requiri. Animadverti vero debet in *sess. cit. c. 6.* a beneficio assequendo excludi Clericos etiam tonsura initiatos vel in minoribus constitutos ante annum 14. ætatis suæ. Igitur ordines minores recipi possunt etiam ante annum 14. ætatis.

9. Pro Ordinibus vero majoribus major etiam ætas requiritur ab Ecclesia. Et ex *Clement. ult. de æt. et qual.* ad Subdiaconatum olim octodecim anni, pro Diaconatu viginti requirebantur. Pro Presbyteratu autem ætas 30 annorum in Christi exemplum necessaria reputabatur; ceu liquet ex *can. 1. 2. et 4. dist. 78.* Deinde relicta illa ætate 30 annorum pro Episcopo, ætas Presbyterorum ad annos 25 coarctata est; ita *Clem. ult. de æt. et qual.* In *can. vero 12. sess. 23. de Ref.* in Tridentino ætas ad Subdiaconatum suscipiendum definita est ad annos 22 idest requiritur annus 21. completus; ad Diaconatum est annus 23. idest 22. completus; et pro Presbyteratu est annus 25. id est 24. completus. Receptum enim est principium 'In favorabilibus, dum lex non obstat, annus inceptus habetur pro completo.' Pro Episcopis vero perseverat antiqua dispositio ut nempe Episcopus non eligatur nisi ex dispensatione Summi Pontificis ante ann. 30. completum.

10. Generatim si quis ordinaretur ante legitimam ætatem superius determinatam, illicite ordinaretur, et usque ad ætatem legitimam ministrare nequiret in suo ordine. Episcopus autem ordinans dicitur vel non esse compos sui, vel scientiam canonum prorsus ignorare *cit. c. 14. h. t.* Verum nemo negabit collationem ordinis esse validam, si in ea fiat ætate in qua homo percipiat quod in ipso agatur, nempe Ordinis collatio.

11. Quæstio proponitur de Ordinatione collata in infantia. Reprobatur hæc ordinatio a *Bonif. VIII. in c. ult. h. t. in 6º.* Eritne autem invalida? Quidam tenuerunt esse invalidam. At quæstio soluta est a *Bened. XIV. in Instructione super dubiis ad Ritus Ecclesiæ et Nationis Cophtorum pertinentibus, quæque refertur in ejus Bullario tom. 1. sub num. 129.* Enarrat ipse Pontifex ex peritorum sententia, veteri disciplina inter Cophtos qui Nestorianis castris addicti erant, invaluisse morem etiam immediate post baptismum parvulis tonsuram et Ordines conferendi excepto presbyteratu. Qua in ordinatione parentes accedere soliti fuerunt veluti sponsores quoad obligationes ordinibus adnexas. Hic vero mos inductus est ut copia sufficiens ministrorum haberetur, quæ ex disciplina illius sectæ requiritur in solemnibus pontificali Missa Episcopi. Difficile autem erat tantam copiam ministrorum habere, si ministri in adulta ætate fuissent assumendi. Exorta quæstione quoad illos qui ordinati in infantia convertebantur ad veram fidem, *Bened. XIV. cit. loc. tradit validam fuisse ordinationem, dummodo defectus nullus occurrerit sub-*



stantialis in materia, forma et in ministerio Episcopi ordinantis. Ratio vero deducitur ex natura sacramenti Ordinis, quod cum characterem imprimat, induit naturam sacrament. Baptismi et Confirmationis, quæ vi ipsius collationis imprimunt characterem, dummodo positivum obstaculum ex parte subjecti non opponatur. Quapropter quemadmodum hæc duo Sacramenta, ita et sacr. Ordinis in infantia collatum valet. Et hoc dicendum est etiam quoad ordines minores, qui ex communiore præsertim Theologorum sententia non sunt sacramenta. Nam in eorum institutione et juridico effectum sequuntur indolem et naturam ordinum hierarchicorum, ut nempe in eorum collatione dicant relationem ad quamdam dispositionem et capacitatem stabilem et permanentem in subjecto ad modum saltem et similitudinem characteris.

12. At quod de valore ordinis suscepti dictum est, non idem dicendum esse docet Benedictus de obligationibus suscipiendis et de ministerio. Namque animadvertit obsolevisse disciplinam veterem obligandi ad onera statui clericali adnexa ferenda eos qui inviti aut coacti ad Ordines assumebantur. Hinc ait ordinatos in infantia clericalibus obligationibus non adstringi. Nec valet comparatio ex baptisate deducta. Nam obligationes, quæ ex baptisate fluunt, sunt prorsus necessariae et hominem adstringunt quia homo christianus factus est, et inseparabiles sunt ab homine baptisato; obligationes vero Ordinibus adnexæ cum non sint absolute ad salutem necessariae, homini invito imponi nequeunt, et cæterum possunt separari a valore Sacramenti Ordinis. Quare obligationes hujusmodi ordinatos in infantia non adstringunt nisi vel expresse vel tacite propriam ordinationem ipse ordinatus ratam habuerit. Hinc cum Concilium Trid. in *can. 14. sess. 7. de Baptismo* sub pœna anathematis condemnavit doctrinam illorum qui tenent, baptizatos in infantia cum ad ætatem adultam pervenerint esse interrogandos utrum velint ratum habere, quod patrini eorum nomine polliciti sunt; Benedictus XIV. e contra docuit cit. loco *n. 27.* ordinatos in infantia juxta præscriptionem Conc. Toletani II. relatam in *can. 'De iis' dist. 28.* cum ad sufficientem discretionis ætatem pervenerint esse interrogandos, utrum in sancto proposito perseverare cupiant, vel non. Si negent, remanent soluti a quocumque vinculo ita ut et matrimonium inire queant, et ad preces et officium recitandum non teneantur. Ad Cophtos ita interrogando determinat Pontifex ætatem annorum sexdecim completorum.

13. Quod dictum est de obligationibus adnexis ordinibus quoad ordinatos in infantia dicendum etiam est de illis qui sub metu gravi sacros Ordines susceperunt. Diximus *sub metu*. Nam si ordinatio collata esset per vim, nulla esset ob defectum voluntatis, seu melius ob contrariam voluntatem in subjecto. Ad rem facit *cap. Majores 3. de Baptis. §. item et glos. ibi v. conditionaliter*. Sub metu autem suscepta ordinatio valida est, eo quia, instante metu voluntas licet trepidet, tamen non tollitur. Facit ad rem *can. Merito c. 15. q. 1.* et *Glos. in can. Ubi ista verb. honorem* *Distinct. 74.* Verum si subdiaconatus et reliqui majores ordines suscipiantur sub metu gravi externo injuste et directe incusso ad ordines suscipiendos, ordinatus summo jure inspecto non contrahit obligationes servandi cœlibatum et recitandi horas canonicas. Nam ex una parte obligationes istæ non sunt de substantia Ordinis, nec in se inspectæ sunt necessariae ad salutem æternam; ex alia autem parte præsumi non potest, Ecclesiam velle eas imponere clericis ordinatis sub metu gravi. Ecclesia enim requirit liberam voluntatem, qua cessante non obligat, ceu firmat Rota in *Dec. 870 n. 1. et 2. coram Emerix juniore*. Quæ præsumptio fortior evadit, si animadvertatur, obligationem cœlibatus ordinibus majoribus adnexam referre indolem *voti cap. un. De voto in 6º.* Nam votum est promissio deliberata, idest voluntaria et libera. Unde votum emissum sub metu qui cadit in constantem virum cum aliis conditionibus supra enuntiatis non obligat *c. 1. De his quæ vi metusque. Cfr. Engel Lib. 3. t. 34. n. 5.* Porro metus in casu non consideratur ceu causa quæ semel posita, semper et pro semper nullas reddit obligationes ordinibus sacris adnexas. Nam si metus cesset, et clericus ratam habeat suam ordinationem ex gr. libere ministrando in ordine suscepto, metus censetur purgatus, et obligationes ex metu prius susceptæ validæ et efficaces fiunt. Ita Doctores.

14. Præterea licet metus intervenerit in ordinatione, nec fuerit purgatus, tamen nemo potest auctoritate privata ab obligationibus eximi, sed saltem quoad actus fori externi requiritur iudicium Ecclesiæ. Porro ex praxi S. Congr. Conc. deprehendimus, S. Sedem in quæstionibus particularibus sententiam non pronunciasse de nullitate obligationum in casu ordinationis ex metu susceptæ, sed potius secutam fuisse regulam consulendi Summo Pontifici pro dispensatione ab obligationibus iisdem. Ita in Iprensi diei 16. Dec. 1719. et in Parisien. diei 12. Julii 1721.



15. In ordinationibus ministrorum secunda qualitas est ut servari debeant interstitia. Interstitia sunt tempus illud intermedium quod decurrere debet a susceptione unius ordinis ad susceptionem alterius. Servanda vero sunt interstitia, ceu docet Innoc. XII. in *Const. 'Speculatores domus Israel'* ut non alii quam qui sanctitate et justitia per ecclesiasticæ militiæ gradus ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis antea se gesserint, ad Sacerdotium assumantur. De interstitiis loquuntur *cc. 13. et 15. h. t. et capita 11. 13. et 15. sess. 23. De Ref. Concilii Tridentini.*

16. Vetus Ecclesia sollicita admodum fuit ut hæc lex servaretur, prout patet ex decreto Synodi Sardicensis an. 347. quod refertur a Gratiano in can. 10. Dist. 61. Porro Romani Pontifices Siricius, Cœlestinus, et Leo Magnus sanxerunt ut per duos annos in Lectoratu atque Exorcistatu, per quinquennium in Acolytatu ac Subdiaconatu, ac per aliud quinquennium in Diaconatu Clerici permanerent. Cfr. Benedictus XIV. *Instit. Eccl. LVIII.* Sed ex circumstantiis temporum immutata etiam fuit hæc disciplina prout tempore Gelasii I. R. P. contigit ob barbarorum incursiones, cujus dispositio refertur a Gratiano *c. 9. D. 77.*

17. Concilium vero Tridentinum temporum iterum mutatis adjunctis, novam probavit statuitque super hac re disciplinam, et de minoribus Ordinibus in *cit. sess. 23. c. 13.* sic jubet: 'Minores Ordines iis qui saltem latinam linguam intelligunt, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur'. Quibus verbis licet commendet Conc. Trid. interstitiorum observantiam, tamen negotium omne prudenti Episcoporum arbitrio remittit. Qua in re quæcumque causa rationalis sufficit, nec reprobari potest consuetudo ubi vigeat duos aut quatuor etiam minores ordines eadem die conferendi. Romæ autem praxis est ut ordines minores non plures quam duo eadem die conferantur. *Honorante Praxis Vicariatus cap. 1. not. 4. Cfr. Fagnanus in c. 3. h. t. n. 41.* Ratio mutatæ disciplinæ videtur esse, quia in veteri Ecclesia non tantum erat necessaria potestas quæ in ordinibus minoribus confertur, sed etiam requirebatur ut in bonum fidelium officium cujusque ordinis exerceretur. Ex. gr. Ostiarii Officium pro januis custodiendis etc. Hodie vero requiritur utique potestas quæ confertur in Ordinibus minoribus; est enim quodammodo pars potestatis ministerialis quæ in Presbyteris residet; non vero necessarium est exercitium hujus potestatis in unoquoque

ordine distinctum ob immutatam disciplinam et temporum circumstantias.

18. De ordinandis in Subdiaconos statuit Trid. in *cap. 11.* ejusd. sess. 'Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi aliud exposcat'. De assumendis ad sacr. Diaconatus Ord. *c. 13.* ead. sess. ait: 'Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiore gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur'. De ordinandis tandem in Presbyteros loquitur in *c. 14.* ejusd. sess. statuens ad minus per annum integrum versatos esse debere in Diaconatu, nisi ob utilitatem et necessitatem Ecclesiæ aliter videatur Episcopo. In quibus dispositionibus duo sunt animadvertenda: 1<sup>o</sup>. integrum annum interstitiorum servandum esse in ordinibus majoribus; 2<sup>o</sup>. Episcopis vero concedi dispensandi facultatem ex legitima causa. Quoad primum, annus integer sumitur semper in favorem Clerici promovendi ad ordines, ita ut non requiratur annus solaris, sed sufficiat annus ecclesiasticus ex. gr. a Paschate resurrectionis ad aliud Pascha resurrectionis, licet secundum hoc Pascha anno consequenti antea recurrat; nec requiratur integer annus ecclesiasticus, si sit major anno solari. Si ex. gr. quis promoveatur ad Subdiaconatum in Sabbato sancto, poterit ordinari Diaconus in Sabbato *Sitientes* sequentis anni, si eo tempore completus effluxerit annus solaris, nec tenetur Pascha expectare. Cfr. *Reiffenstuel* h. t. n. 145. —

19. Quoad secundum. Licet Episcopis detur facultas dispensandi in interstitiorum observantia; tamen absolute vetitum est ne duo sacri Ordines eadem die conferantur *cit. c. 13. sess. 23. de Ref.* Immo nec duo nec a fortiori quatuor minores Ordines possunt eadem die cum Subdiaconatu conjungi. Nam de duobus minoribus ordinibus cum Subdiaconatu conjunctis proposita quæstione in Bovcusi 7. Maj. 1707. s. Congr. Concilii penam imposuit ordinato, ac graviter Episcopum ordinantem reprehendit, ac plus deliquisse quam ordinatum dixit. *Regest. S. Congregat. Lib. 57. f. 23.*

20. Porro nec dispensatio ab integro anno interstitiorum sua justa causa carere debet. Nam præsertim de assumendis ad Subdiaconatum et Presbyteratum ait Conc. Trid. necessitatem requiri vel Ecclesiæ utilitatem. Ecclesiæ utilitas consulit dispensationem interstitiorum cum pauci habeantur ministri qui decenti ministerio



fungantur; necessitas vero habetur, cum deficient ministri, qui honestati cultus vel bono animarum mancipientur. Ad utilitatem vel necessitatem Auctores reducunt etiam rationabiles causas quæ directe ipsum ordinandum afficiunt, si jungantur cum vitæ honestate et commendabili studiorum peritia. Tunc enim spes est futuræ utilitatis obtinendæ ex opere, quod ordinandus præstabit. Utilitas etiam adest cum cuidam Clerico Parœcia vel Beneficium conferatur, sub lege ut infra annum sacrum Ordinem Subdiaconatus vel Presbyteratus suscipiat. Episcopus vero qui dispensandi jus habet est Episcopus proprius qui nempe non ex commissione sed ex proprio jure Ordines confert. Hinc qui alienos ordinat ex commissione, idest ex litteris dimissorialibus, non potest dispensare, nisi facultas in commissione tradatur. Episcopus enim proprius solummodo censetur dignoscere utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ suæ juxta dispositionem capp. 11. et 14. sess. 23. de Ref. De regularibus, inspecta mente Tridentini, dicendum videtur dispensationem non superioribus regularis familiæ sed Episcopo ordinanti remissam esse. Et ita retinuit S. Congr. Conc. in conventu diei 17. Maji an. 1593. *Lib. 1. Decret. pag. 149.* Immo in causa Aesina diei 20. Dec. an. 1581. resolvit dispensationem ab interstitiis 'non spectare ad Superiores regulares, sed ad Episcopos Diocesanos ordinantes in quorum Diocesis sunt monasteria in quibus ipsi ordinandi degunt'. Sed in Congr. diei 12. Septem. 1609. *Lib. 9. Decret. pag. 1822.* et *Lib. 2. pag. 65.* resolvit 'remissionem interstitiorum etiam quoad Regulares ex causis tantum a Concilio expressis faciendam pertinere ad Episcopum ordinantem, cum in hac re debere quoad causas deferri iudicio et attestationi Superioris Regularis ordinandi'. Cfr. Bened. XIV. in Inst. LVIII. Optimo autem jure adnotat *De Angelis h. t. n. 7. circa finem*, si sermo sit de Ordinibus regularibus, qui a Sede Apostolica obtinuerunt post Conc. Trid. privilegium exemptionis ab interstitiis, iudicium pertinere ad Superiores regulares, non vero ad Episcopum. Ratio est, quia agitur de privilegio Ordini concesso, quod per Superiorem regularem exercetur.

21. Inter qualitates ordinandorum tertia est, ut a legitimo Ministro sacra Ordinatio conferatur. Hinc quæritur 1<sup>o</sup>. quinam sit minister ut valide conferatur sacra Ordinatio, 2<sup>o</sup>. quinam ut licite? Minister ordinarius sacræ ordinationis ut valide conferatur est omnis et solus Episcopus. Nam licet in Ecclesia plures insti-

tutæ sint comparationes inter potestatem Episcoporum et Presbyterorum, tamen semper retentum est Episcopos esse qui munus et potestatem a Domino acceperunt ordinandi. Dubium vero omne hac in re removet *Conc. Trid. in c. 4. sess. 23. de Sacram. Ord. et in can. 7. ejusdem sess.* Quibus in locis hoc esse proprium ait officii Episcopalis ut sacramentum Confirmationis conferant, ministros ordinent, quam potestatem nullo modo habent Episcopi cum Presbyteris communem. Præstat afferre verba *can. 7.* 'Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi vel ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem . . . anathema sit.' At Episcopi non habent hanc potestatem ita propriam ut nullo modo saltem ex delegatione ordinaria vel extraordinaria Ecclesiæ non possint etiam simplices presbyteri minores ordines conferre. Et revera ex *c. XI. de Aetat. et Qual. et Ordin. præficiend.* et ex consuetudine ecclesiastica patet Abbates presbyteros et ab Episcopo benedictos conferre posse primam tonsuram et Ordines minores. Id vero concessum est ex delegatione, ne monachi facile ex prætextu Ordinum suscipiendorum vagarentur extra monasterium.

22. De Ordine Subdiaconatus certum est antiquitus illum fuisse inter ordines minores computatum, etiam in Ecclesia latina. Cum vero Subdiaconis indicta fuerit lex continentiæ, ceu patet ex *can. Nullum 1. Dist. 28. et ex can. Ante 1. Dist. 31.* qui canones S. Gregorio Magno tribuuntur, cumque deinde ab Urbano II. et ab Innocentio III<sup>o</sup>. in Conc. Later. IV. fuerit decretum ut Subdiaconi possent eligi in Episcopos, *cap. 9. De Aet. Qualit. et Ord. Præfic.* dum antea Subdiaconi postulari debuissent; hinc Subdiaconatus cœpit inter majores Ordines recenseri. Ex hoc inferunt Doctores ante ætatem Innocentii III. vel etiam Urbani II. potuisse Abbates conferre Ordinem Subdiaconatus.

23. Quoad Presbyteratum receptum semper est ut non nisi ab Episcopo conferretur, nec ejus collatio simplici presbytero delegari posset. Ratio enim juridica nos edocet solum Episcopum, qui *Pater* appellatur, posse sibi *pares* ordinare; nec exemplum aliquod delegationis Abbati factæ adduci ex adverso potest.

24. Quoad Diaconatum etiam, cum sit Ordo qui ad sacram hierarchiam divina ordinatione institutam pertinet, communis sententia docet ejus collationem delegari non posse Presbytero; ac proinde nec Abbati qui presbyter sit, et benedictionem ab Episcopo